

P. VERGILĪ MARŌNIS

ÆNĒIDOS

LIBER QUĀRTUS

DĪDŌ

*Nicolas Lakshmanan ēdidit
novā significantissimā interpūnctiōne
longīsque vocālibus notātīs*

AUX HUMANISTES TRÈS-MODERNES

At rēgīna, gravī jamdūdum saucia cūrā,
 vulnus **alit** vēnīs ; et cæcō **carpitur** ignī.
 Multa virī virtūs animō, multusque **recursat**
 4 gentis honōs : **hærent** infīxī pectore vultūs,
 verbaque ; nec placidam membrīs **dat** cūra quiētem.
 Postera, Phœbēā **lūstrābat** lampade terrās,
 ūmentemqu^e, Aurōra polō **dīmōverat** umbram,
 8 cum sīc, ūnanim^{am}, **adloquitur** male sāna sorōrem :

« Anna soror, quæ mē suspēns^{am} īnsomnia **terrent** ?

Quis, novus hīcⁱ, nostrīs **successit** sēdibus hospes ?

quem sēs^e ōre ferēns, quam fortī pector^e et armīs !

12 **Crēd**^o equidem — nec vāna fidēs ! — genus esse deōrum :

dēgenerēs animōs timor **arguit**. Heu, quibus ille

jactātus fātīs ! Quæ bell^a exhausta **canēbat** !

Sī mihi nōn, animō fīx^{um} immōtumque, **sedēret**

16 nē cuī mē vinclō **vellem** sociāre jugālī,

postquam prīmus amor dēceptam morte **fefellit** ;

Sī nōn pertæsūm thalamī tædæque **fuisset**,

huīc ūnī forsan, **potuī** succumbere culpæ.

20 Anna — **fatēbor** enim — miserī post fāta Sychæi

conjugis, et sparsōs frāternā cæde penātīs,

sōlus hic **inflexit** sēnsūs, animumque labantem

impulit : **agnōscō** veteris vestīgia flammæ.

24 Sed mihi, vel tellūs **optem** prius īma **dehīscat**,

vel pater omnipotēns **adigat** mē fulmin^e ad umbrās,

pallentīs umbrās Erebo, noctemque profundam,

ante, pudor, quam tē **viol**^o, aut tua jūra **resolvō**.

1. On pourrait aussi lire *hiĉ*, pronom-adjectif démonstratif, plutôt que *hīc*, adverbe démonstratif.

28

Ille meōs, p̄rimus quī mē sibi **jūnxit**, amōrēs
abstulit ; ill^e **habeat** sēcum, **servet**que sepulcrō. »

Sīc effāta, sinum lacrimīs **implēvit** obortīs.
Anna **refert** :

32

« Ō lūce magis dīlēcta sorōrī,
sōlane perpetuā mārēns **carpēre** juventā
nec dulcīs nātōs, Veneris nec prēmīa **nōris** ?
Id, ciner^{em} aut mānīs **crēdis** cūrāre, sepultōs ?
Est^o : ægram nūllī quondam **flexēre** marītī —
nōn Libyæ, nōn ante Tyrō ; dēspectus Īarbās
ductōrēsqu^e aliī, quōs Africa terra triumphīs
dīves **alit** : placitōn^e etiam **pugnābis** amōrī ?

36

Nec **venit** in mentem quōrum **cōnsēderis** arvīs ?
Hinc Gætūl^æ urbēs, genus īnsuperābile bellō,
et Numid^æ īnfrēnī **cingunt**, et inhospita Syrtis ;
hinc dēserta sitī regiō, lātēque furentēs
Barcæī. Quid bella Tyrō surgentia **dīcam**,
germānīque minās ?

44

Dīs equidem auspiciibus **reor**, et Jūnōne secundā,
hunc cursum Īliacās ventō tenuisse carīnās.
Quam t^ū urbem, soror, hanc **cernēs**, quæ surgere rēgna,
conjugiō tālī ! Teucrum comitantibus armīs,
Pūnica, sē quantīs **attollet** glōria rēbus !
Tū modo **posce** deōs veniam ; sacrīsque litātīs,
indulgē hospitiō. Causāsqu^e **innecte** morandī :
dum pelagō **dēsævit** hiems, et aquōsus Orīon ;
quassātæque ratēs — dum nōn tractābile cælum. »

48

52

Hīs dictīs, impēns^o, animum **flammāvit** amōre ;
 spemque **dedit** dubiæ mentī ; **solvit**que pudōrem.

56 Prīncipiō, dēlūbr^a **adeunt** ; pācemque per ārās
exquīrunt. **Mactant** lēctās dē mōre bidentīs¹,
 lēgiferæ Cererī², Phoebōque³, patrīque Lyæō⁴,
 Jūnōn¹ ant^e omnīs, cui vincla jugālia cūræ.

60 Ipsa, tenēns dextrā, pateram pulcherrima Dīdō,
 candentis vaccæ medi^a inter cornua, **fundit**⁵ ;
 aut ant^e ōra deum pinguīs **spatiātur**⁶ ad ārās.

Instauratque diem dōnīs ; pecudumque reclūsīs
 64 pectoribuſ, inhiāns spīrantia cōnsulit exta.

*Heu, vāt^{um} ignāræ mentēs ! Quid vōta furentem,
 quid dēlūbra juvant ?* **Ēst** mollīs flamma medullās
 intere^a ; et tacitum, **vīvit** sub pectore vulnus.

68 **Ūritur** infēlix Dīdō ; tōtāque **vagātur**
 urbe furēns — *quālis coniecta cerva sagittā,*

1. Il s'agit de brebis. « À un an, les béliers, les brebis et les moutons perdent les deux dents du devant de la mâchoire inférieure ; ils manquent de dents incisives à la mâchoire supérieure. À dix-huit mois, les deux dents voisines des deux premières tombent aussi, et à trois ans elles sont toutes remplacées. » (Buffon, *Histoire naturelle*, V, « La brebis »). Ce mot, dont l'équivalent français est « antenais » (*ante, annus*), est synonyme de *bīmus*, composé dont le second élément est apparenté à *hiems*, « vieux de deux hivers » : la brebis née en automne est à la fois *bidēns* et *bīma*.

2. = Δήμητρι θεσμοφόροι. Après les semailles de novembre, quand le travail de l'année agricole était achevée, les Athéniennes, à l'exclusion des hommes, célébraient pendant trois jours une fête, les Thesmophories, en l'honneur de Déméter qui apprit à cultiver les champs et institua le mariage. Le pseudo-Servius cite Calvus, contemporain de Cicéron, sur la déesse : « *Et lēgēs sānctās docuit, et cāra jugāvit / corpora cōnūbīs, et magnās condidit urbīs.* »

3. Soit parce qu'Apollon est un dieu guérisseur, soit parce qu'il révèle l'avenir.

4. Surnom grec de Bacchus, parce qu'il délire de tout souci (λύειν). Cette épithète paraissait correspondre à un ancien surnom du dieu latin Jupiter, *Liber* ; Liber était devenu un dieu distinct, présidant à la fécondité de la nature. Il fut identifié par les Romains avec Dionysos.

5. « *Hæc pertinent ad victimārum explorātiōnem, ut, sī nōn stupuerint, aptæ probentur.* » (Servius, VI, 244).

6. SPATIOR, -ĀRIS, -ĀRĪ, -ĀTUS SUM — marcher en occupant l'espace ; elle marche ici d'un pas religieux.

quam procul incautam, nemora inter Crēsia, **fixit**
 pastor agēns tēlīs, **līquit**que volātile ferrum
 72 nescius : illa fugā silvās, saltūsque **perāgrat**
 Dictaōs ; **hæret** laterī lētālis harundō. —
 Nunc mediā, Ænēan sēcum, per moenia **dūcit** ;
 Sīdōn,āsque **ostentat** opēs, urbemque parātam.
 76 **Incipit** effārī, mediāque in vōce **resistit**.
 Nunc eadem, lābente diē, convīvia **quærit** ;
 Īliacōsque iterum, dēmēns, audīre labōrēs
exposcit ; **pendet**que, iterum, narrantis ab ōre.
 80 Post ubi **dīgressī**, lūmenque obscūra vicissim
 lūna **premit**, **suādent**que cadentia sīdera somnōs,
 sōla domō **mæret** vacuā ; strātīsque relictīs
incubat. Ill^{um}, absēns, absent^{em} **audit**que **videt**que ;
 84 aut gremi^o Ascanium, genitōris imāgine capta,
dētinēt, īnfandum sī fallere **possit** amōrem.
 Nōn, cœpt^æ, **adsurgunt** turrēs ; nōn arma Juventus
exercet, portūs^v aut prōpugnācula bellōⁱ
 88 tūta **parant** : **pendent** oper^a interrupta, minæque
 mūrōr^{um} ingentēs, æquātaque māchina cælō.

92 **Q**uam, simul ac tālī **persēnsit** peste tenērī,
 cāra Jovis conjūnx, nec fām^{am} obstāre furōrī,
 tālibus **adgreditur** Venerem, Sātūrnīa dictīs :
 « Ēgregiam vērō laud^{em}, et spoli^a ampla **refertis**,
 tūque puerque tuus ; magn^{um} et memorābile nūmen,
 ūna, dolō dīvum, sī fēmina **victa** duōrum **est** !

i. Datif final.

96 Nec m^e adeō **fallit**, veritam tē moenia nostra,
 suspectās habuisse domōs, Karthāginis altæ.
 Sed quis **erit** modus ? aut quō nunc, certāmine tantō ?
 Quīn potius pāc^{em} æternam, pactōsque hymenæōs,
 100 **exercēmus ? Habēs** tōtā quod mente petistī :
ārdet amāns Dīdō ; **traxit**que per ossa furōrem.
 Commūn^{em} hunc ergō populum, paribusque¹ **regāmus**
 auspiciīs ; **liceat** Phrygiō servīre marītō,
 104 dōtālīsque tuæ Tyriōs permittere dextræ². »

Ollī — **sēnsit** enim simulātā mente locūtā,
 quō rēg^{num} Ītaliæ Libycās **āverteret** ōrās³ —
 sīc contrā **est ingressa** Venus :

108 « Quis tālia, dēmēns,
abnuat ? aut tēcum **mālit** contendere bellō ?
 — sī modo, quod **memorās** factum fortūna **sequātur**.
 Sed fātīs incerta **feror**, sī Juppiter ūnam
 esse **velit** Tyriīs urbem, Trojāque profectīs,
 112 miscērīve **probet** populōs, aut fœdera jungī.
 Tū conjūnx, tibi fās animum temptāre precandō.
Perge, sequar. »

Tum sīc **excēpit** rēgia Jūnō :
 « Mēcum **erit** iste labor. Nunc quā ratiōne quod **īnstat**
 116 cōnfierī **possit**, paucīs — **adverte** ! — **docēbō**.

1. Si deux idées ici sont coordonnées alors qu'elles sont exprimées à deux cas différents (*communem* et *paribus*), c'est parce qu'en fait deux propositions sont coordonnées par *-que* : *regāmus* est sous-entendu dans la première. En français, on placerait ce verbe, commun aux deux propositions, dans la première.

2. En se mariant à Énée, Didon se mettrait « sous la main » de celui-ci, donc de Vénus.

3. = *quō rēgnum in Libycās ōrās āverteret*.

Vēnāt^{um} Ænēās, ūnāque miserrima Dīdō,
 in nemus ire **parant**, ubi prīmōs crastinus ortūs
extulerit Tītan, radiīsque **retēxerit** orbem.
 120 Hīs ego, nīgrantem commixtā grandīne nimbūm
 — dum **trepidant** ālæ, saltūsque^e indāgine **cingunt** —
 dēsuper **īfundam** ; et tonītrū cæl^{um} omne **ciēbō**.
Diffugient comitēs ; et nocte **tegentur** opācā :
 124 spēluncam Dīdō dux et Trojānus eandem
dēvenient. **Aderō** et, tua sī mihi certa voluntas,
 cōnubiō **jungam** stabilī ; propriamque **dicābō**.
 Hīc hymenæus **erit**. »
 Nōn adversāta petentī,
 128 **adnuī** ; atque dolīs **rīsīt** Cytherēa repertīs.

Ōcean^{um}, intereā surgēns, Aurōra **reliquit**.
It portīs, jubare exortō, dēlēcta Juventus,
 rētia rāra, plagæ, lātō vēnābula ferrō ;
 132 Massylīque **ruunt** equitēs, et odōra canum vīs.
 Rēgīnam, thalamō cūnctant^{em}, ad līmina prīmī
 Pōenōrum **expectant**. Ostrōque^e īsignis et aurō,
stat sonipēs ; ac frēna, ferox, spūmantia **mandit**.
 136 Tandem **prōgreditur**, magnā stīpante catervā,
 Sīdōnam pictō chlamydem circumdata¹ limbō.
 Cū pharētr^a ex aurō, crīnēs **nōdantur** in aurum ;
 aurea purpuream **subnectit** fībula vestem.
 140 Nec nōn et Phrygīi comitēs, et lātus Iūlus,
incēdunt. Ips^e, ant^e aliōs pulcherrimus omnīs,

1. *Circumdata* admet ici un objet à l'accusatif, comme si c'était un verbe déponent (Cf. *indūtus*).

Infert sē soci^{um} Ænēās ; atqu^e agmina **jungit**.

144 *Quālis ubi hibernam Lyciam¹, Xanthique fluenta,
dēserit, ac Dēlum² maternam invisit Apollo,
īnstauratque chorōs³, mixtīqu^e, altāria circum,
Crētēsque Dryopēsque fremunt, pictīqu^e Agathyrst⁴ ;
ipse jūgis Cynthi graditur, mollīque fluentem
148 fronde premit crīnem, fingēns, atque implicat aurō ;
tēla sonant umerīs⁵ : haud illō segnior **ibat**
Ænēās : tant^{um}, ēgregiō decus **ēnitet** ōre.*

152 **P**ostquam altōs vent^{um} in mōntīs, atqu^e invia lustra,
ecce feræ, saxī dejectæ vertice, capræ
dēcurrere jugīs. Aliā dē parte, patentīs
trāsmittunt cursū campōs ; atqu^e agmina cervī,
pulverulenta, fugā **glomerant** ; mōntīsque **relinquunt**.
156 At puer Ascanius, mediīs in vallibus, ācrī
gaudet equō : jamqu^e hōs cursū, jam **præterit** illōs ;
spūmantemque darī, pecor^a inter inertia, vōtīs
optat aprum, aut fulvum dēscendere mōnte leōnem.
160 Intereā, magnō miscērī murmure cælum

1. Au sud de l'Asie mineure. Apollon y avait à Patare un temple et un oracle célèbres. Le Xanthe, qu'il ne faut pas confondre avec le Xanthe troyen, se jetait dans la mer non loin de là.

2. Île des Cyclades, où Latone mit au monde Apollon et Diane, sur le mont Cynthe.

3. La fête de printemps en l'honneur d'Apollon paraît avoir été la première de ces « panégyries », brillantes réunions populaires, où le culte, le chœur et les danses, le commerce attiraient les « théories », ambassades officielles des cités.

4. Les Dryopes sont un peuple pélasgique, c'est-à-dire antérieur à l'histoire connue, qui habitait la région plus tard appelée Doride, près de l'Éta (Hérodote, I, 56, 146 ; Thucydide, VII, 67). Les Agathyrses étaient un peuple scythe ou sarmate qui habitait sur le territoire de la future Dacie, sur la rive gauche du Danube, au temps où il y avait des Dryopes (Hérodote IV, 100, 104, 125). Virgile désigne ainsi les plus éloignés des peuples grecs et barbares.

5. Cf. *Iliade* I, 46.

incipit ; insequitur, commixtā grandine, nimbus.

Et Tyriī comitēs pass^{im}, et Trojāna juvenus,

Dardaniusque nepos Veneris, dīversa per agrōs

164 tēcta metū **petiēre** : **ruunt** dē mōntibus amnēs.

Spēluncam Dīdō, dux et Trojānus, eandem

dēveniunt. Prīm^a et Tellūs, et prōnuba Jūnō,

dant signum ; **fulsēr^e** ignēs et cōnsciūs æther

168 cōnūb_iis ; summōqu^e **ululārunt** vertice Nymphæ.

Ille diēs prīmus lētī, prīmusque malōrum

causa **fuit**. Nequ^e enim speciē, fāmāve, **movētur** ;

nec jam fūrtivum Dīdō **meditātur** amōrem :

172 conjugium **vocat** — hōc **prætexit** nōmine culpam.

Extemplō Libyæ, magnās **it** Fāma per urbēs,
Fāma, malum quā nōn aliud vĕlōcius ūllum.

Mōbilitāte viget, vīrīsque adquīrit eundō ;

176 *parva metū prīmō, mox sēs^e attollit in aurās ;*

ingrediturque sol^ō, et caput inter nūbila condit.

Illam Terra parēns, ir^ā inrītāta deōrum¹,

extrēm^{am}, ut perhibent², Cæ^ō Enceladōque³ sorōrem

180 **prōgenuit**, pedibus celer^{em}, et pernīcibus ālīs,

mōnstr^{um} horrend^{um}, ingēns, cui quot sunt corpore plūmæ,

tot vigilēs oculī subter (mīrābile dictū),

tot linguæ ; totidem ōra sonant ; tot subrigit aurīs.

184 *Nocte volat cālī mediō, terræque per umbram,*

1. La colère que les dieux ont exercée contre les Géants, ses fils, a suscité de la part de la Terre d'un être différent, aussi redoutable qu'insaisissable : *Fāma*.

2. = *ut aīunt*.

3. Cœus est un des Titans, qui détronèrent Ouranos au profit de Cronos (Cf. *Géorgiques*, I, 279) ; Encélade un des Géants qui escaladèrent le ciel et furent foudroyés par Jupiter (Cf. III, 578).

strīdēns ; nec dulcī dēclīnat lūmina somnō.

Lūce sedet cūstōs, aut summī culmine tēctī,

turribus aut altīs, et magnās territat urbēs,

188

tam fictī prāvīque tenāx, quam nuntia vēri.

Hæc tum, multiplicī populōs sermōne **replēbat**,
gaudēns ; et pariter fact^a atqu^e īfecta **canēbat** :

« *Vēniss^e Ænēan, Trojānō sanguine crētum,*

192

cuī sē, pulchra, virō dignētur jungere Dīdō ;

nunc hiem^{em} inter sē luxū, quam longa, fovēre,

rēgnōr^{um} immemorēs, turpīque cupīdine captōs. »

Hæc passim, dea fœda, virum **diffundit** in ōra.

196

Prōtinus ad rēgem cursūs **dētorquet**, Īarban ;

incenditqu^e animum dictīs ; atqu^e **aggerat** īrās.

Hic — Hammōne¹ satus, raptā Garamantide² nymphā —
tempa Jovī centum, lātīs immānia rēgnīs,

200

cent^{um} ārās **posuit**. Vigilemque **sacrāverat** ignem,

excubiās dīvum æternās ; pecudumque cruōre

pingue sol^{um}, et variīs flōrentia līmina³ sertīs.

Isqu^e amēns animⁱ, et rūmōr^e accensus amārō,

204

dīcitur ant^e ārās, medi^a inter nūmina dīvum,

multa Jovem, manibus supplex ōrāsse supīnīs :

« Jupiter omnipotēns, cuī, nunc, Maurūsia⁴ pictīs

1. **Hammō**, — **ōnis** : Dieu bélier de Thèbes en Égypte, associé à Zeus par les Grecs et à Jupiter par les Romains.

2. Nymphé éponyme des Garamantes, qui peuplaient le sud de la Tripolitaine (Hérodote, I, 4).

3. On peut lire *līmina* et *solum* comme des nominatifs dans une proposition nominale, ou bien comme des accusatifs dépendant assez librement de *sacrāverat*.

4. = *Maura*.

208 gēns epulāta torīs, Lēnæum¹ **libat** honōrem,
 aspicias hęc ? An tē, genitor, cum fulmina torquēs
 nēquīqu^{am} horrēmus ? cēcīqu^e in nūbibus ignēs
terrificant animōs ? et inānia murmurā **miscent** ?
 Fēmina quæ, nostrīs errāns in fīnibus, urbem
 212 exiguam pretiō **posuit**, cui lītus arandum,
 cuique locī lēgēs **dedimus**, cōnūbia nostra
reppulit ! Ac domin^{um} Ænēan in rēgna **recēpit** !
 Et nunc ille Paris, cum sēmivirō comitātū
 216 — Mæoniā² mentum mītrā, crīnemque madentem,
 subnexus — raptō **potitur**. Nōs mūnera templīs
 quippe tuīs **ferimus** ; fāmamque³ fovēmus inānem ! »

220 **T**ālibus ōrantem dictīs, ārāsque tenentem,
audiit Omnipotēns, oculōsqu^e ad moenia **torsit**
 rēgia, et oblītōs fāmæ meliōris amantīs.

Tum sīc Mercurium **adloquitur** ; ac tālia **mandat** :

224 « **Vād**^e age, nāte : **vocā** Zephyrōs, et **lābere** pennīs ;
 Dardaniumque ducem — Tyriā Karthāgine quī nunc
exspectat, fātīsque datās, nōn **respicit** urbēs —
adloquer^e ; et celerīs, **dēfer** mea dicta per aurās.
 Nōn illum, nōbīs genetrix pulcherrima, tālem
 228 **prōmīsīt**, Grajumqu^e ideō bis **vindicat** armīs⁴ !
 Sed fore quī, gravid^{am} imperiūs, bellōque frementem,
 Ītaliā **regeret**, genus alt^o ā sanguine Teucrī

1. = *Baccheus*.

2. La Méonie est le nom primitif de la Lydie, en Asie mineure.

3. = *fāmamque potentia tua*.

4. = *ex armīs*.

prōderet, ac tōtum sub lēgēs **mitteret** orbem.

232

Sī nūll^a **accendit** tantārum glōria rērum,

nec super, ipse, suā **mōlītur** laude labōrem,

Ascaniōne, pater, Rōmānās **invidet** arcēs ?

Quid **struit** ? aut quā spē | inimic^a in gente **morātur** ?

236

nec prōl^{em} Ausoni^{am}, et Lāvīnia **respicit** arva ?

Nāviget ! Hęc summa ^est, hic nostrī nuntius **estō**. »

D**ixerat**. Ille, patris magnī, pārēre **parābat**
imperio^o ; et prīmum, pedibus tālāria **nectit**

240

aurea, quæ sublīm^{em}, ālīs, sīv^e æquora sūprā

seu terram, rapidō pariter cum flāmine **portant**.

Tum virgam **capit** : hęc, animās ill^e **ēvocat** Orcō

pallentīs ; aliās sub Tartara trīstia **mittit** ;

244

dat somnōs **adimitque** ; et lūmina morte **resignat**.

Illā frētus, **agit** ventōs ; et turbida **trānat**

nūbila. Jamque volāns, apic^{em} et later^a ardua **cernit**

Ātlantis dūrī, cælum quī vertice **fulcit**,

248

— *Ātlantis, cinct^{um} adsidue cū nūbibus ātrīs,*

*pīniferum caput, et ventō **pulsātur** et imbrī ;*

*nix umerōs infūsa **tegit**, tum flūmina mentō*

***præcipitant** senis, et glaciē **riget** horrida barba. —*

252

Hīc prīmum paribus nītēns Cyllēniusⁱ ālīs

cōnstitit ; hinc tōtō præceps sē corpore ad undās

mīsit — *avī similis, quæ circum lītora, circum*

*piscōsōs scopulōs, humilis **volat** æquora juxtā.*

256

Haud aliter, terrās inter cælumque, **volābat**,

i. Mercure est né sur le mont Cyllène, en Arcadie ;

lītus harēnōs^{um} ad Libyæ ; ventōsque **secābat**,
māternō veniēns ab avō, Cyllēnia prōlēs.

260 **U**t prīm^{um} ālātīs **tetigit** māgālia¹ plantīs,
Ænēan fundant^{em} arcēs, ac tēcta novantem,
cōnspicit. Atquē illī, stēllātus iaspide fulvā,
ēnsis **erat** ; Tyriōquē **ardēbat** mūrīce læna,
dēmīss^a ex umerīs — dīves quæ mūnera Dīdō
264 **fēcerat** ; et tenuī tēlās **discrēverat** aurō.

Continuō **invādit** :

« Tū, nunc Karthāginis altæ
fundāmenta **locās** ? pulchramquē uxōrius urbem
exstruis ? Heu, rēgnī rērumquē oblīte tuārum !
268 Ipse deum, tibi mē clārō **dēmīttit** Olympō
rēgnātor, cæl^{um} et terrās quī nūmine **torquet**,
ipsē hęc ferre **jubet**, celerīs mandāta per aurās :
“Quid **struis** ? aut quā spē Libycīs **teris** ōtia terrīs ?
272 Sī tē nūlla **movet** tantārum glōria rērum
[nec super, ipse, tuā **mōlīris** laude labōrem,]
Ascanium surgent^{em}, et spēs hērēdis Iūli
respice — cui rēgn^{um} Italiæ, Rōmānaque tellūs,
276 **dēbētur**.” »

Tālī Cyllēnius ōre locūtus,
mortālīs vīsūs, mediō sermōne, **relīquit** ;
et procul, in tenu^{em}, ex oculīs **ēvānuī**t, auram.

1. MĀGĀLIA,-IUM, *mnt. pl.* — huttes de nomades.

280 **A**t vēr^o, Ænēās aspectū **obmūtuit**, āmēns ;
Arrectæque horrōre comæ ; et vox faucibus **hæsīt**.

Ārdet abīre fugā, dulcīsq̄e relinquere terrās,
 attonitus tantō monitū, imperiōque deōrum.
 Heu ! quid **agat** ? Quō nunc rēgīn^{am} ambīre furentem
 284 **audeat** adfātū ? Quæ prīm^a exordia **sūmat** ?
 Atquē animum, nunc hūc, celerem, nunc **dīvidit** illūc :
 in partīsq̄e **rapit** variās ; perquē omnia **versat**.

Hæc alternantī, potior sententia **vīsa** est :
 288 Mnesthea Sergestumque **vocat**, fortemque Serestum :
 « Class^{em} **aptent** tacitī, sociōsq̄e ad lītora **cōgant**,
 arma **parent**, et quæ rēbus **sit** causa novandīs
dissimulent ; sēs^e intereā, quand^o optima Dīdō
 292 **nesciat**, et tantōs rumpī nōn **spēret** amōrēs,
temptātūrum aditūs, et quæ mollissima fandī
 tempora, quīs rēbus dexter modus. » Ōcius omnēs
 imperiō lætī **pārent** ; et jussa **facessunt**.

296 **A**t rēgīna dolōs — *quis fallere possit amantem* ? —
Apræsēnsit ; mōtūsque **excēpit** prīma futūrōs,
 omnia, tūta, timēns. Ead^{em} impia Fāma furentī
dētulit : armārī classem, cursumque parārī.
 300 **Sævit**, inops animī ; tōtamquē incēnsa per urbem
bacchātur, *quālis, commōtīs excita sacrīs,*
Thyīas¹, ubī audītō stimulant trietērica² Bacchō
orgia, nocturnusque vocat clāmōre Cithærōn.
 304 Tand^{em}, hīs Ænēan **compellat** vōcibus, ultrō :

1. = θυιάς, -άδος — bacchante, transportée de délire divin (de θύω, « bondir, s'élancer vivement »).

2. = τριετηρικά = *triennia*.

« Dissimulār^e etiam **spērāstī**, perfide, tantum
 posse nefas, tacitusque meā dēcēdere terrā ?
 Nec tē noster amor, nec tē data dextera quondam,
 308 nec moritūra **tenet**, crūdēlī fūnere, Dīdō ?
 Quīn eti^{am}, hībernō mōlīrī sīdere classem,
 et mediīs **properās** aquilōnibus īre per altum,
 crūdēlis ? Quid ? sī nōn arv^a aliēna, domōsque
 312 ignōtās, **peterēs**, et Troj^a antīqua **manēret**,
 Trojā per undōsum **peterētur** classibus æquor ?
 Mēne **fugis** ? Per eg^o hās lacrimās, dextramque tuam, tē
 — quand^o aliud, mihi jam miseræ, nihil ipsa reliquī —
 316 per cōnūbia nostra, per inceptōs hymenæōs,
 sī bene quid dē tē **meruī**, **fuit** aut tibi quicquam
 dulce meum, **miserēre** domūs lābentīs ; et istam,
 ōrō, sī quis adhuc precibus locus, **exue** mentem.
 320 Tē propter, Libycæ gentēs Nomadumque tyrannī
 ōdēr^e, **īnfēnsī** Tyriī ; tē propter eundem,
extīnctus pudor, et, quā sōlā sīder^a **adībam**,
 fāma prior. Cuī mē moribundam **dēseris**, hospes
 324 — hoc sōlum nōmen quoniam dē conjugē **restat** ?
 Quid **moror** ? An mea Pygmaliōn dum moenia frāter
dēstruat ? aut captam **dūcat** Gætūlus Iarbās ?
 Saltem, sī qua, mihi dē tē, suscepta **fuiisset**,
 328 ante fugam, subolēs, sī quis mihi parvulus aulā
lūderet Ænēās, quī tē tamen ōre **referret**,
 nōn equid^{em} omnīno capt^a ac dēserta **vidērer**. »

332 **D**ixerat. Ille, Jovis monitīs immōta, **tenēbat**
 lūmin^a ; et obnīxus, cūram sub corde **premēbat**.

Tandem pauca **refert** :

336 « Ego tē, quæ plūrima fandō
 ēnumerāre **valēs**¹, numquam, rēgīna, **negābō**
 prōmeritam ; nec mē meminisse **pigēbit** Elissæ,
 dum memor ipse meī, dum spīritus hōs **regit** artūs.
 Prō rē, pauca **loquar**. Nequ^e eg^o hanc abscondere fūrtō
spērāvī — nē **finge** ! — fugam. Nec conjugis umquam
prætendī tādās, aut hęc in foedera **vēnī**.

340 Mē sī fāta meīs **paterentur** dūcere vītam
 auspiciīs, et sponte meā compōnere cūrās,
 urbem Trojānam prīmum, dulcīsque meōrum
 rēliquiās **colerem**, Priamī tēct^a alta **manērent**,
 344 et recidīva, manū **posuissem** Pergama, victīs.
 Sed nunc, Ītaliā magnā Grȳneus Āpollo,
 Ītaliā Lyciæ **jussēre** capessere sortēs :
 hīc amor, hęc patria ^est. Sī tē Karthāginis arcēs,
 348 Phoenissam, Libycæqu^e aspectus **dētinet** urbis,
 quæ tand^{em} Ausoniā Teucrōs cōnsīdere terrā
 invidia ^est ? Et nōs **fās** extera quærere rēgna.

352 Mē patris Anchīsæ, quotiēns ūmentibus umbrīs
 nox **operit** terrās, quotiēns astr^a ignea **surgunt**,
admonet in somnīs ; et turbida **terret** imāgō.
 Mē puer Ascanius, capitisque injūria cārī,
 quem rēgn^o Hesperiaē **fraudō**, et fātālibus arvīs.
 356 Nunc eti^{am} interpres dīvum, Jove missus ab ipsō,
 — **testor** utrumque caput ! — celerīs mandāta per aurās
dētulit : ipse deum, manifest^o in lūmine, **vīdī**

1. = *potes*.

intransentem mūrōs ; vōcemquē hīs auribus **hausī**.

360

Dēsine mēque tuīs incendere, tēque, querēlīs ;

Ītaliā nōn sponte **sequor**. »

Tālia dīcentem, jamdūd^{um} āversa, **tuētur**,

hūc illūc volvēns oculōs ; tōtumque **pererrat**

364

lūminibus tacitīs. Et sic accēnsa **profātur** :

« Nec tibi dīva parēns, generis nec Dardanus auctor,

perfide, sed dūrīs **genuit** tē cautibus horrēns

Caucasus ; Hyrcānæquē **admōrunt** ūbera tīgrēs !

368

Nam quid **dissimulō** aut quæ mē ad majōra **reservō** ?

Num flētū **ingemuit** nostrō ? Num lūmina **flexit** ?

Num lacrimās, victus, **dedit**, aut **miserātus** amantem **est** ?

Quæ quibus **anteferam** ? Jam jam nec maxima Jūnō,

372

nec Sāturnius, hæc oculīs pater **aspicit** æquīs :

nusquam tūta fidēs. Ejectum lītore, egentem

excēpī ; et rēgnī, dēmēns, in parte **locāvī**.

Āmissam classem, sociōs ā morte **redūxī**

376

— heu furiīs incēnsa **feror** ! Nunc augur Apollō ;

nunc Lyciæ sortēs ; nunc, et Jove missus ab ipsō,

interpres dīvum **fert** horrida jussa per aurās.

Scīlicet is superīs labor **est**, ea cūra quiētōs

380

sollicitat. Neque tē **teneō** neque dicta **refellō** :

ī, **sequerē** Ītaliā ventīs ; **pete** rēgna per undās.

Spērō equidem mediīs, sī quid pia nūmina **possunt**,

supplici^a hausūrum scopulīs, et nōmine Dīdō

384

sæpe vocātūrum. **Sequar** ātrīs ignibus, absēns ;

et, cum frīgida mors animā **sēdūxerit** artūs,

omnibus umbra locīs, **aderō**. **Dabis**, improbe, pœnās.

Audi^{am} ; et hæc Mānīs, **veniet** mihi fāma, sub īmōs. »

388 Hīs medium dictīs sermōn^{em} **abrumpit**. Et aurās
 ægra **fugit** ; sēqu^e ex oculīs **āvertit** et **aufert**,
 linquēns multa metū cūnctantem¹, et multa parantem
 dīcere. **Suscipiunt** famulæ ; conlapsaque membra
 392 marmoreō **referunt** thalamō. Strātisque **repōnunt**.

At pius Ænēās, quamquam lēnīre dolentem
 Asōlandō **cupit**, et dictīs āvertere cūrās,
 multa gemēns, magnōqu^e animum labefactus amōre²,
 396 jussa tamen dīvum **exsequitur** ; classemque **revīsit**.
 Tum vērō Teucrī **incumbunt**, et lītore celsās
dēdūcunt tōtō nāvīs : **natat** ūncta carīna.
 Frondentisque **ferunt** rēmōs, et rōbora silvīs
 400 īnfabricāta, fugæ studiō.

Mīgrantīs **cernās**, tōtāqu^e ex urbe ruentīs ;
ac velut ingentem, formīca, farris acervum
*cum **populant**, hiemis memorēs, tēctōque **repōnunt** :*
 404 *it nigrum campīs agmen ; prædamque per herbās*
*convectant call^e angustō ; pars grandia **trūdunt***
*obnīxa frūment^a umerīs, pars agmina **cōgunt***
*castīgantque morās : oper^e omnis sēmita **fervet**.*

408 Quis tibi tum, Dīdō, cernentī tālia sēnsus !
 quōsve **dabās** gemitūs, cum lītora fervere lātē
prōspicerēs, arc^e ex summā, tōtumque **vidērēs**

1. Il s'agit d'Énée ; *dīcere* est l'objet de *cūnctor* et de *parō* ; *multa*, l'objet de *dīcere*.

2. Celui de Didon.

3. Accord selon le sens du sujet et non selon son nombre grammatical (syllepse). [Remarquer aussi que pour le sens et la forme, *trūdō* fait couple avec *trahō*.]

miscērī ant^e oculōs, tantīs clāmōribus, æquor !

412

Improb^e amor, quid nōn mortālia pectora cōgis !

Īr^e iterum in lacrimās, iterum temptāre precandō

cōgitur — et supplex, animōs summittere amōrī,

nē quid inexpertum, frūstrā moritūra, **relinquat**.

416



Anna, **vidēs** tōtō properārī lītore, circum :

undique **convēnēre** ; **vocat** jam carbasus¹ aurās,

puppibus et, lætī naut^x **imposuēre** corōnās.

Hunc ego sī **potuī** tantum spērāre dolōrem,

420

et perferre, soror, **poterō**. Miser^x, hoĉ tamen ūnum

exsequer^e, Anna, mihī : sōlam nam perfidus ille

tē **coler^e**, arcānōs etiam tibi **crēdere** sēnsūs ;

sōla, virī mollīs aditūs et tempora **nōrās**.

424

Ī, soror, atqu^e hostem, supplex, **adfāre** superbum :

“Nōn ego, cum Danaīs, Trojān^{am} excindere gentem,

Aulide, **jūrāvī** ; classem^v ad Pergama **mīsī** ;

nec patris Anchīsæ cinerem mānīsve **revellī** :

428

cūr mea dicta **negat** dūrās dēmitter^e in aurīs ?

Quō ruit ? extrēmu^m hoc, miseræ **det** mūnus amantī :

expectet facilemque fugam, ventōsque ferentīs.

Nōn jam conjugū^{um} antīquum, quod **prōdidit**, **ōrō** ;

432

nec pulchr^o ut Latiō **careat**, rēgnumque **relinquat**.

Tempus ināne **petō**, requiem spatiumque furōrī,

dum mea, mē victam, **doceat** fortūna dolēre.”

Extrēm^{am} hanc **ōrō** veniam — **miserēre** sorōris ! —,

436

quam mihi cum **dederit**, cumulātam morte **remittam**. »

1. CARBASUS, -Ī — lin.

Tālibus **ōrābat** ; tālisque, miserrima, flētūs
fertque, **refert**que soror. Sed nūllīs ille **movētur**
 flētibus ; aut vōcēs ūllās, tractābilis, **audit** :
 440 fāt^a **obstant** ; placidāsque virī, deus **obstruit** aurīs.
Ac velut annōsō¹ validam, cum, rōbore quercum
Alpīnī Boreæ, nunc hinc nunc flātibus illinc,
ērue^e inter sē certant : it strīdor, et alta
 444 *cōnsternunt terram, concussō stīpite, frondēs.*
Ips^a hæret scopulīs et, quantum vertice ad aurās
ætheriās, tantum rādīc^{em} in Tartara tendit :
 haud secus adsiduīs, hinc atqu^e hinc, vōcibus hēros
 448 **tunditur** ; et magnō **persentit** pectore cūrās.
 Mēns immōta **manet** ; lacrimæ **volvuntur** inānēs.

Tum vēr^o, infēlix, fātīs exterrita, Dīdō
 mort^{em} **ōrat** ; **tædet** cælī convexa tuērī.
 452 Quō magis inceptum **peragat**, lūcemque **relinquat**,
vīdit, tūricremīs cum dōn^a **impōneret** ārīs,
 — horrendum dictū ! — laticēs nīgrēscere sacrōs,
 fūsaqu^e in obscēnum, sē vertere vīna, cruōrem.
 456 Hoc **vīsum** nūllī, nōn ipsⁱ **effāta** sorōrī.
 Prætereā **fuit**, in tēctīs, dē marmore templum
 conjugis antīquī², mīrō quod honōre **colēbat**,
 velleribus niveīs, et fēstā frondē, revinctum :
 460 hinc, exaudīrī vōcēs, et verba vocantis
vīsa virī, nox cum terrās obscūra **tenēret**,

1. *Annōsō rōbore* complète *validam*.

2. *Conjūnx antiquus* = Sychée.

sōlaque culminibus, fērālī carmine, bŭbō
 sæpe querī, et, longās, in flētum dŭcere vōcēs.
 464 Multaque prætereā, vātum prædicta priōrum,
 terribilī monitū, **horrificant**. **Agit** ipse furentem,
 in somnīs, ferus Ænēās ; semperque relinqui
 sōla sibī, semper long^{am}, incommitāta, **vidētur**
 468 īre vi^{am}, et Tyriōs dēsertā quærere terrā...
 — Eumenidum velutī, dēmēns, **videt** agmina Pentheus
 et sōlem geminum, et duplicēs s^e ostendere Thēbās ;
 aut Agamemnonius, scænīs, agitātus Orestēs,
 472 armātam facibus mātrem, et serpentibus ātrīs,
 cum **fugit**, ultrīcēsque, **sedent** in līmine Dīræ.

Ergō ubi **concepit** furiās, ēvicta dolōre,
dēcrevitque morī, tempus, sēc^{um} ipsa, modumque
 476 **exigit**. Et mæstam dictīs adgressa, sorōrem,
 cōnsilium vultū **tegit** ; ac spem fronte **serēnat** :

« **Invēnī**, germāna, viam — **grātāre** sorōrī ! —
 quæ mihi **reddat** eum, vel eō mē **solvat** amantem.
 480 Ōceanī fīnem juxtā, sōlemque cadentem,
 ultimus Æthiopum locus **est**, **ubi** maximus Atlās
 ax^{em} umerō **torquet**, stēllīs ārdentibus aptum :
 hinc mihi, Massylæ gentis **mōnstrāta** sacerdos,
 484 Hesperidum templī cŭstōs, epulāsque dracōnī
 quæ **dabat**, et sacrōs **servābat** in arbore rāmōs,
 spargēns ūmida mella, sopōriferumque papāver.
 Hæc sē, carminibus, **prōmittit** solvere mentēs
 488 quās **velit**, ast aliīs dūrās immittere cūrās,
 sister^e aquam fluvīīs, et vertere sīdera rētrō ;

nocturnōsque **movet** Mānīs : mūgīre **vidēbis**
 sub pedibus terr^{am}, et dēscendere mōntibus ornōs.
 492 **Testor**, cāra, deōs et tē, germāna, tuumque
 dulce caput, magicās invīt^{am} accingier artīs.
 Tū, sēcrēta, pyram tēct^o interiōre, sub aurās,
ērigē, et arma virī, thalamō quæ fīxa **reliquit**
 496 impius, exuviāsqu^e omnīs, lectumque jugālem,
 — quō **perii** ! — super **impōnās** : abolēre nefandī
 cūncta virī monimenta **juvat**ⁱ ; **mōnstrat**que sacerdōs. »

Hæc effāta, **silet** ; pallor simul **occupat** ōra.

500 Nōn tamen Anna, novīs prætexere fūnera sacrīs
 germānam, **crēdit** ; nec tantōs mente furōrēs
concipit, aut graviōra **timet** quam morte Sychæi.
 Ergō jussa **parat**.

504 **A**t rēgīna — pyrā, penetrālī in sēde, sub aurās
ērectā, ingentī tādīs, atqu^e ilice sectā —
intenditque locum sertīs, et fronde **corōnat**
 fūnerēā. Super exuviās, ēnsemque relictum,
 508 effigiemque torō **locat**, haud ignāra futūrī.
Stant āræ circ^{um} ; et crīnīs effūsa, sacerdōs
 ter centum **tonat** ōre deōs, Erebumque Chaosque,
 tergemīnamqu^e Hecatēn, tria virginis ōra Diānæ.
 512 **Sparserat** et laticēs, simulātōs fontis Avernī ;
 falcibus et messæ, ad lūnam, **quæruntur** aēnīs
 pūbentēs herbæ, nigrī cum lacte venēnī ;
quæritur et nāscētis equī dē fronte revulsus,

1. Sous-entendre : *mibi*.

516 et matrī præreptus, amor.
 Ipsa molā, manibusque piīs, altāria juxtā,
 ūn^{um} exūta pedem vinclīs, in veste recinctā,
testātur moritūra deōs, et cōnscia fātī
 520 sīdera. Tum, sī quod, nōn æquō foeder^e amantīs,
 cūræ, nūmen **habet**, jūstumque memorque, **precātur**.

Nox **erat**, et placidum **carpēbant**, fessa, sopōrem
 corpora per terrās ; silvæqu^e, et sæva **quiērant**
 524 æquora, cum mediō **volvuntur** sīdera lapsū,
 cum **tacet** omnis ager, pecudēs pictæque volūcrēs,
 quæque lacūs lātē liquidōs, quæqu^e aspera dūmīs
 rūra **tenent** — somnō positæ, sub nocte silentī.
 528 [**Lēnībant** cūrās, et cord^a oblīta labōrum.]
 At nōn infēlix animī Phœnissa ; nequ^e umquam
solvitur in somnōs, oculīsv^e aut pectore noctem
accipit. **Ingeminant** cūræ ; rūsusque resurgēns
 532 **sævit** amor ; magnōqu^e irārum **flūctuat** æstū.

Sīc ade^o **insistit** ; sēcumqu^e ita corde **volūtat** :

« Ēn, quid **agō** ? rūsusne procōs, inrīsa, priōrēs
experiar, Nomadumque **petam** cōnūbia, supplex ?
 536 quōs ego **sim** totiēns jam **dēdignāta** marītōs ?
 Īliacās igitur classīs, atque ultima Teucrum
 jussa **sequar** ? Quian^e auxiliō **juvat** ante levātōs¹,
 et ben^e apud memorēs, veteris **stat** grātia factī ?
 540 Quis m^e autem, **fac** velle², **sinet** ? ratibusve superbīs

1. = *Juvat eōs ante levātōs esse auxiliō meō*. Il s'agit d'ironie : devrai-je les suivre parce qu'ils me sont reconnaissants de mon aide ?

2. = *fac mē velle*.

invīs^{am} **accipiet** ? Nescīs, heu ! perdita, necdum
 Lāomedontē³ **sentīs** perjūria gentis ?
 Quid tum ? Sōla fugā nautās **comitābor** ovantīs ?
 544 An, Tyriīs omnīque manū stīpāta meōrum,
īnferar, et, quōs Sīdōnia vix urbe **revellī**,
 rūrsus **agam** pelag^o ? Et ventīs dare vēla **jubēbō** ?
 Quīn **morere**, ut **merita**^s ; ferrōque **āverte** dolōrem.
 548 Tū lacrimīs ēvicta meīs, tū prīma furentem
 hīs, germāna, malīs **onerās** ; atqu^e **objicis** hostī.
 Nōn **licuit** thalamⁱ expertem, sine crīmine vītam
 dēgere, mōre feræ — tālīs nec tangere cūrās.
 552 Nōn **servāta** fidēs, cinerī prōmissa Sychæō. »

Tantōs illa suō **rumpēbat**, pectore questūs :
 Ænēās, cels^a in puppī, jam certus eundī,
carpēbat somnōs, rēbus jam rīte parātīs.
 556 Huīc sē fōrma deī, vultū redeuntis eōdem,
obtulit in somnīs ; rūrsusque ita **vīsa** monērest,
 omnia Mercuriō similis, vōcemque colōremque,
 et crīnīs flāvōs, et membra decōra juventā :
 560 « Nāte deā, **potes**, hōc sub cāsū, dūcere somnōs,
 nec, quæ tē circum **stent** deīnde, perīcula **cernis**,
 dēmēns ? Nec Zephyrōs **audīs** spīrāre secundōs ?
 Illa dolōs, dīrumque nefas, in pectore **versat**,
 564 certa morī ; variōsqu^e īrārū **conciat** æstūs.
 Nōn **fugis** hinc præceps, dum præcipitāre potestās ?
 Jam, mare turbārī trabibus, sævāsque **vidēbis**

3. Laomédon, roi de Troie, fit bâtir les murs d'Ilion par Apollon et Poséidon, puis délivrer sa fille Hésione par Hercule ; dans les deux circonstances, il frustra les dieux de la récompense promise.

conlūcēre facēs, jam fervere lītora flammīs,
 568 sī t^e hīs **attigerit** terrīs Aurōra, morantem.
 Heî^a **age, rumpe** morās. Vari^{um} et mūtābile semper
 fēmina. »

Sīc fātus, noctī s^e **immiscuit** ātræ.

572 **T**um vēr^o Ænēās, subitīs exterritus umbrīs,
corripit ē somnō corpus ; sociōsque **fatīgat**
 præcipitīs :

« **Vigilāte**, virī, et **cōnsīdite** trānstrīs ;
solvite vēla citī. Deus, æthere missus ab altō,
 festīnāre fugam, tortōsqu^e incīdere fūnīs,
 576 ecc^e iter^{um} **instimulat**. **Sequimur** tē, sāncte deōrum,
 quisquis es, imperiōqu^e iterum **pārēmus** ovantēs.
Adsīs, ō ! placidusque **juvēs** ; et sīdera cælō
 dextra **ferās**. »

580 **Dixit** ; vāgīnāqu^e **eripit** ēnsem
 fulmineum ; strictōque **ferit** retinācula ferrō.
 Īdem omnīs simul ārdor **habet** : **rapiunt**que **ruunt**que.
 Lītora **dēseruēre** : **latet** sub classibus æquor,
 adnixī **torquent** spūmās ; et cærula **verrunt**.

584 **E**t jam prīma, novō **spargēbat** lūmine terrās,
 Tīthōnī croceum līnquēns Aurōra cubīle.
 Rēgīn^a ē speculīs, ut prīm^{am} albēscere lūcem
vīdit, et æquātīs classem prōcēdere vēlīs,
 588 lītoraqu^e, et vacuōs **sensit** sine rēmige portūs,
 — terque quaterque manū, pectus percussa decōrum,
 flāventīsqu^e abscissa comās :

« Prō Juppiter ! **Ībit**

hiĉ, **ait**, et nostrīs **inlūserit**, advena, rēgnīs ?

592

Nōn arm^a **expedient**, tōtāqu^e ex urbe **sequentur**,

dīripientque ratēs aliī nāvālibus ? **Īte**,

ferte citī flammās, **date** tēl^a, **impellite** rēmōs !

Quid **loquor** ? aut ubī **sum** ? Quæ ment^{em} **īnsānia** **mūtat** ?

596

Īnfēlix Dīdō, nunc tē fact^a **impia** **tangunt** ?

Tum **decuīt**, cum scēpra **dabās**. Ēn dextra fidēsque,

quem¹ sēcum patriōs **aīunt** portāre penātīs,

quem subiiss^e, umerīs, cōnfect^{um} **ætāte** parentem !

600

Nōn **potuī**, abreptum, dīvellere corpus², et undīs

spargere ? nōn sociōs, nōn ipsum absūmere ferrō

Ascanium ? pātriīsqu^e epulandum pōnere mēnsīs ?

Vēr^{um} anceps pugnae **fuerat** fortūna. **Fuisset** :

604

quem **metuī** moritūra ? Facēs in castra **tulisse** ;

implēssemque forōs flammīs ; nātumque patremque

cum gener^e **exstīnxem**, mēmet super ipsa **dedissem**.

Sōl ! quī terrārum flammīs oper^a omnia **lūstrās**,

608

tūqu^e ! hār^{um} **īnterpres** cūrār^{um}, et cōnscia, Jūnō,

nocturnīsqu^e Hecatē triviīs, ululāta per urbēs !

et Dīræ ultrīcēs ! et dī morientis Elissæ,

accipit^e hęc ; meritumque malīs **advertite** nūmen,

612

et nostrās **audīte** precēs. Sī tangere portūs

īnfandum caput, ac terrīs adnāre necesse **ēst**,

et sīc fāta Jovis **poscunt**, hiĉ terminus **hæret** ;

at, bell^o audācis populī vexātus et armīs,

616

fīnibus extorris, complex^ū **āvulsus** Iūlī,

1. = *ejus quem* (ou *ille quem* ?)

2. Celui d'Énée.

auxili^{um} implōret, videatqu^e indigna suōrum
 fūnera ; nec, cum sē, sub lēgēs pācis inīquæ,
 trādiderit, rēgn^o aut optātā lūcē fruātur,
 620 sed cadat ante diem, mediāqu^e inhumātus harēnā.
 Hæc precor, hanc vōc^{em} extrēmam cum sanguine fundō.
 Tum vōs, ō Tyriī, stirp^{em} et genus omne futūrum,
 exercēt^e odiīs, cinerīqu^e hæc mittite nostrō
 624 mūnera. Nūllus amor populīs¹ nec fœdera sunt.
 Exoriār^e aliquis², nostrīs ex ossibus, ultor
 quī face Dardaniōs, ferrōque sequāre colōnōs,
 nunc, ōlim — quōcumque dabunt sē, tempore, vīrēs.
 628 Lītora lītoribus contrāria, flūctibus undās,
 imprecor, arm^a armīs : pugnent ipsīque, nepōtēsque. »

Hæc ait, et partīs animum versābat in omnīs,
 invīsam quærēns, quam prīm^{um}, abrumperē lūcem.
 632 Tum breviter Barcen nūtrīc^{em} adfāta Sychæī,
 — namque suam, patri^a antīquā, cinis āter habēbat :
 « Annam, cāra mihī nūtrix, hūc siste sorōrem :
 dīc corpus³ properet, fluviālī spargere lymphā ;
 636 et pecudēs, sēc^{um}, et mōnstrāta piācula dūcat.
 Sic veniat, tūqu^e ipsa, piā tege tempora vittā.
 Sacra Jovī Stygiō, quæ rīt^e incepta parāvī,
 perficere^est animus, fīnemqu^e impōnere cūrīs,
 640 Dardaniīque rogam capitis permittere flammæ. »

1. Tyrīūs ac Dardaniūs.

2. vocatif.

3. = corpus suum.

Sīc ait. Illa gradum, studiō **celebrābat** anīlī.

644 At trepid^a, et cœptīs immānibus effera, Dīdō
sanguineam volvēns aciem, maculīsque trementīs
interfūsa genās, et pallida morte futūrā,
interiōra domūs **inrumpit** līmin^a; et altōs
cōnscendit, furibunda, rogōs; ēnsemque **reclūdit**
Dardanium — nōn hōs quæsītum mūnus in ūsūs¹.

648 Hīc, postqu^{am} Īliacās vestīs, nōtumque cubīle
cōnspexit, paulum lacrimīs et mente morāta;
incubuitque torō; **dīxitque** novissima verba:

652 « Dulcēs exuviæ — dum fāta, deusque **sinēbat** —,
accipit^e hanc animam; mēqu^e hīs **exsolvite** cūrīs.

Vīxⁱ; et quem **dederat** cursum Fortūna **perēgī**;

et nunc, magna meī, sub terrās, **ībit** imāgo.

656 Urbem præclāram **statuī**, mea moenia **vīdī**,
ulta virum, pœnās inimīc^o ā frātre **recēpī**,

fēlix — heu nimium fēlix! —, sī lītora tantum

numquam Dardaniæ **tetigissent**, nostra carīnæ. »

Dīxit, et ōs impressa torō

« **Moriēmur** inultæ,

660 sed **moriāmur**,

ait.

Sīc, sīc **juvat** īre sub umbrās.

Hauriat hunc oculīs ignem, crūdēlis ab altō

Dardanus; et nostræ, sēcum **ferat** ōmina mortis. »

1. = mūnus nōn in hōs ūsūs quæsītum.

Dixerat, atque illam, mediâ inter tália, ferrō
 664 conlapsam **aspiciunt** comitēs, ēnsemque cruōre
 spūmantem, sparsāsque manūs. **It** clāmor ad alta
 ātria : concussam, **bacchātur** Fāma per urbem.
 Lāmentīs, gemitūque, et fēmine^o ululātū
 668 tēcta **fremunt** ; **resonat** magnīs plangōribus æther,
 nōn aliter quam sⁱ immissīs **ruat** hostibus omnis
 Karthāg^o, aut antīqua Tyros, flammæque furentēs,
 culmina perque hominum, **volvantur**, perque deōrum.
 672 **Audiit** exanimis, trepidōque exterrita cursū,
 unguibus ōra soror foedāns, et pectora pugnīs,
 per mediōs **ruit** ; ac morientem nōmine **clāmat** :

« Hoê illud, germāna, **fuit** ? mē fraude **petēbās** ?
 676 hoê, rogos iste mihi ; hoê, ignēs āræque **parābant** ?
 Quid primum dēserta **querar** ? Comitemne sorōrem
sprēvistī moriēns ? eadem mē ad fāta **vocāsses**,
 idem ambās ferrō dolor, atque ead^{em} hōra **tulisset**.
 680 Hīs etiam **struxī** manibus, pātriōsque **vocāvī**
 vōce deōs, sīc tē ut positā, crūdēlis, **abessem** ?
Exstīnxtī tē, mēque, soror, populumque, patrēsque
 Sīdoniōs, urbemque tuam. **Date**, vulnera lymphīs
 684 **ablu**^{am} et, extrēmum sī quīs super hālitus **errat**,
 ōre **legam**. »

Sīc fāta, gradūs **ēvāserat** altōs ;
 sēm̄animemque, sinū germān^{am} amplexa, **fovēbat**,
 cum gemitū ; atque ātrōs **siccābat** veste cruōrēs.

688 Illa, gravīs oculōs cōnāt^a attollere rūsus,
dēficit ; infixum **strīdit** sub pectore vulnus.
 Ter sēs^e attollēns, cubitōque adnixa, **levāvit** ;

692 ter **revolūta** torō^est. Oculīsqu^e errantibus, altō
quæsīvit cælō lūcem ; **ingemuit**que, repertā¹.

Tum Jūn^o omnipotēns, longum miserāta dolōrem,
difficilīsqu^e obitūs, Īrim **dēmīsit** Olympō,
quæ luctant^{em} animam, nexōsque **resolveret** artūs.

696 Nam quia nec fātō, meritā nec morte **perībat**,
sed miser^a ante diem, subitōqu^e accēnsa furōre,
nond^{um} illī, flāvum Prōserpina vertice crīnem²
abstulerat, Stygiōque caput **damnāverat** Orcō³.

700 Erg^o Īris croceīs, per cælum rōscida, pennīs
mille trahēns variōs, adversō sōle, colōrēs,
dēvolat ; et sūprā caput **astitit**.

« Hunc⁴ ego Dītī

sacrum jussa **ferō**, tēqu^e istō corpore **solvō**. »

704 Sīc **ait** ; et dextrā crīnem **secat**, omnis et ūnā
dīlapsus calor ; atqu^e in ventōs vīta **recessit**.

1. *lūce*.

2. Les mourants sont semblables à des victimes offertes aux dieux infernaux qui doivent leur enlever quelques cheveux sur le front, comme les sacrificateurs coupaient quelques poils des victimes (*Cf.* VI, 245 ; Euripide, *Alceste*, 74-76). Proserpine n'enlevait pas ces prémices aux suicidés, qui devançaient le jour marqué par la nature.

3. ORCUS, -Ī = DĪS, DĪTIS, « Pluton ».

4. = *hunc crīnem*.